



Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 7. Praxis rectae intentionis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

Joseph , & Susannæ , ante quælibet virtutis opera , cum
e domo egredieris , ante examen , & cubitum , & cum no-
ctu expurgisceris .

vii. In hoc exercitio affectui magis insistendum est ,
quam speculationi ; copiosior enim fructus ex ignitis cum
Deo colloquiis , quam ex consideratione refertur : immo
ex affectu plurima consideratio velut ex fonte promanat .
Crebra autem , & humili oratione cum charitate hoc do-
num impetrabis . Orabis igitur , & dices . Quo ibo à spiri-
tu tuo , Domine Deus meus , & quo à facie tua fugiam ?
Si ascendero in cœlum , tu illic es ; si descendero in infer-
num , ades : neque te cœli cœlorum capere possunt . O quam
caci sumus filii hominum , qui te Dominum præsentem non
veremur , neque tuo aspectu componimur , neque à peccatis pa-
trandi deterremur ! Ergo-ne credote hic , & ubique præsen-
tem esse , & omnia opera mea , atque intimas cogitationes
perscrutari , nihilque occultum esse oculis tuis ? Certè si
crederem , non auderem te audiente , & vidente ea facere ,
loqui , & cogitare , dc quibus in conspectu hominum erubef-
cerem . Quanta enim puritate , ô puritas infinita , coram
te enitere debo , in cuius conspectu cœli non sunt mundi ,
& in cuius faciem supremi seraphici spiritus respicere non
præsumunt ? Audio tamen te dicentem , Ambula coram me ,
& esto perfectus ; & ideo fiduciam habeo orandi ad te ,
ut non abscondas faciem tuam à me , neque declines in
ira à servo tuo . Ecce sicut oculi servorum in manibus do-
minorum suorum , ita oculi mei ad te , donec mei miserearis .
Respic in me , & miserere mei , & ostende mihi faciem tuam .
Faciem tuam Domine requiro ; ne averras eam à me , sed
fac misericordiam cum servo tuo , ut semper ambulem
coram te in hac peregrinatione , teque in patria perfuiar in
æternum . Amen .

§. VII. Praxis rectæ Intentionis.

Recta intentio illa dicitur , quæ operis sui finem
constituit Deum , & ad ejus honorem , & gloriam .

C iiiij

revocat quicquid sit, dicitur, & cogitatur. Sicut respi-
ratio vitæ naturali, sic recta intentio vitæ spirituali ne-
cessaria est. Ea est anima, & forma omnium actionum:
nam qualis intentio, talis est actio. Si quis jejunis, fla-
gellis, allisque poenitatisibus affligat corpus suum non
propter Deum, sed ut gloriam accipiat ab hominibus,
nihil ei prodest. Si eodem fine ad extremos Indos perget,
omnesque ibi infideles multum laborans convertat ad
Deum, factus est velut æs sonans, aut cimbalum tinniens.
Ut enim docent sancti Patres, Martyrem non facit pœ-
na, sed causa. Bona intentio parva extollit, & illustrat;
magna autem & in pretio habita, prava intentio dehone-
stat. Ne igitur opera tua impura, & vacua in conspectu
Dei inveniantur, puritati intentionis omni conatu insiste;
nec quidquam vel minimum aggredere, quin prius actu
ad Deum referas, tanquam ad primum principium, &
ultimum finem tuum. Species quædam Idololatriæ est,
Deo præsenti dorsum vertere, & faciem ad idolum, ad
aliquam scilicet creaturam, vel propriam voluntatem,
aut proprium commodum convertete, Deo neglecto, &
ejus voluntate.

II. Tua autem opera triplici intentione ad Deum re-
ferre potes: ut pœnam evadas, ut præmio potiaris, &
ob purum amorem ipsius Dei. Prima est servorum, secon-
da mercenarios spectat, tertia ad filios. Prima bona est,
melior altera, tertia optima: hac enim in Deum tendis
& ad ipsum omnia dirigis, ut ei placeas, ipsumque ho-
nores, ut ejus voluntatem adimpleas, & ut iis quæ agis,
te ad intimam cum illo unionem disponas. Illa verò pu-
rissima intentio est, quam Deiformem vocant, quæ ni-
hil proprium in voluntate relinquit admixtum, ipsamque
penitus, omni humana affectione abjectâ, in Deum trans-
fundit.

III. Signa rectæ intentionis hæc sunt. Non turbulen-
ter rem aggredi, non anxium esse, non distrahi, non per-
turbari, ob rei eventum minus prosperum non affligi,

nec aliorum iudicia anxiè quærere ; omni vana cogitatione post factum carere , opiniones hominum contemnere , & quæ diligenter omnia facere , sive publicè , sive privatim fiant ; sive multi sint spectatores , vel auditores , sive pauci ; nec laudibus extolli , nec vituperiis dejici ; resignatum ad omnia esse , nihilque optare , nihil timere .

i v. Quia Deus tanquam prima causa , & primum principium naturæ & gratiæ , tecum concurrit ad omnes actiones tuas , nec quidpiam sine illo potes operari , quin ipse in te omnia opera tua operetur ; perfectissimæ intentionis genus erit in singulis operationibus tuis easdem intentiones assumere , quas sapientissimus Deus , tecum & in te operando habet , sic mentem ad eum dirigendo . Domine Deus meus , hoc opus aggredior , & perficere intendo ob eosdem fines , propter quos tu idem operaris : ad eundem scopum mentis oculos dirigo , ad gloriam tuam & amorem tuum , & ut omnis voluntas tua fiat in celo & in terra . Utinam hunc scopum semper attingam ea rectitudine , quam ego desidero , & tu mereris .

v. Sed quia difficile est , et si summum conatum adhibeas , hunc actum elicere , quin ob multiplicem humanae naturæ fragilitatem & corruptionem multis imperfectionibus permixtus sit ; remedium illarum efficacissimum , & Deo gratissimum erit , tua quælibet opera verba , & cogitationes , operibus , verbis & cogitationibus Domini nostri Jesu Christi unire ; ut in sanguine ac meritis ejus purificantur , & perficiantur . Sic autem unita , & purificata offeres Deo Patri in odorem suavitatis .

v i. Tecum expende quid sit quod ames in singulis actionibus tuis , illudque abnega , ne vitiet intentionem . Considera deinde monitum illud Christi , *Quoniam operat semper orare , & non desicere* ; hoc enim non aliter servare potes , quam mediante recta intentione . Semper orat , ait quidam Sanctorum , qui semper bene agit : bene autem semper agit , qui per rectam intentionem omnia opera sua ad Deum refert . Cum dormis semper orabis ,

si ante somnum hunc actum præmittas. Cupio mi Deus, ut me dormiente singulæ respirationes meæ te laudent, & glorifcent; ac si affectu omnium Angelorum & Sanctorum semper dicerem, Laus tibi Domine Rex æternae gloriae. Simili modo cùm manducas, singulas buccellas, singulos haustus offer Deo, ac si in singulis dices, *Benedictus Deus.* Cum legis, aut scribis, offer eadem ratione singulos characteres, ac si singuli magna voce clamarent, *Sanctus,* *Sanctus,* *Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Idem in reliquis faciendum.

VI.1. Assertio est doctissimorum Theologorum, multiplicatis solis intentionibus posse merita singulorum actuum multiplicari, ita ut uno opere decem vel pluribus intentionibus instructo tantum mereri possis, quantum eodem illo decies vel pluries repetito. Cùm igitur aliquid inchoas, sic dirige intentionem. *O bonitas infinita Deus meus, hoc agere vel pati volo eodem affectu, spiritu, & intentione, quibus Christus Filius tuus operabatur in terris.* Primo ut tibi omnem laudem, cultum, honorem, & gloriam tribuam, quibus debo te venerari. 2. *Vt faciam voluntatem tuam.* 3. *Vt protestem omnimodam mei subjectionem, & dependentiam a te.* 4. *Vt meritum ac premium eternum, quantum est in me, augeam.* 5. *Vt quotidiana corporis, & animæ bona impetrem.* 6. *Vt dimittas mihi peccata mea.* 7. *Vt ab omni malo culpe & pœna liberer.* 8. *Ad honorem, & augmentum gloriae Beatae Virginis, sanctorum Angelorum, & omnium Beatorum, presertim tutelarium meorum.* 9. *Ad utilitatem meam, omniumque amicorum, & inimicorum meorum, & totius Ecclesiæ Militantis.* 10. *In auxilium fidelium defunctorum.* 11. *In gratiarum actionem pro infinitis beneficiis mihi, & omni creaturæ collatis.* 12. *Vt superem tale vitium tua gratia adjutus.* 13. *Vt talen virtutem mihi necessariam consequar.* 14. *Vt aptior reddar officio meo.* 15. *Vt sic imiter Christum, & Sanctos ejus.* 16. *Vt crescam, & perseverem in bono.* 17. *Vt sim aliis bono exemplo.* 18. *Vt vota mea reddam, quæ promisi.*

tibi. 19. *Vt lucrer indulgentias talirei annexas.* 20. *Vt bonam mortem obtineam.* 21. *Vt tale beneficium, quod peto à te, impetrem.* 22. *Vt tibi magis placeam, & accuratiū serviam.* 23. *Vt Ecclesiæ, vel superiori hoc præcipienti obediam.* 24. *Vt pro peccatis meis fatisfaciam.* 25. *Vt meum in te amorem augeam.* 26. *Vt contra diaboli tentationes & insidias muniar.* 27. *Vt aliquid patiar pro amore tuo.* 28. *Vt ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum dignè suscipiendum me præparem.* 29. *Vt proximum meum adjuvem, & ædificem.* 30. *Vt ad intimam tecum unionem me disponam.*

VII. Plures intentiones sigillatim suggeret cuiusque operis natura, & circumstantiæ. Non omnes autem, quæ supra descriptæ sunt in omnibus haberi debent, aut possunt; sed illæ quæ magis unicuique operationi congrue videbuntur. Vesperè in fine examinis considera diem, & opera abiisse, & quanta cor tuum lætitia perfundetur, si ea fecisses pura intentione. Opta igitur omnia te fecisse ad majorem Dei gloriam, renova propositum reæ intentionis, & die sequenti eam sæpe restaura, manœ præsertim ante sacrum, ad cujusvis laboris & actionis initium, ad horas singulas, & ante somnum. Res ista facillima est, & in tua potestate posita: quid enim facilius, quam mente ad Deum elevata dicere: Hoc propter te Domine, ad gloriam tuam? Parva res est, sed ingens meritorum cumulus ab ea pendet; & si eam omiseris, quamvis multa agas, nihil egisti. Sine mercede est labor, qui caret recta intentione.

§. VIII. *De quotidiana virtutum Exercitatione.*

DE virtutum excellentia, utilitate, jocunditate, & necessitate non est hic differendi locus; sed quia omnis earum laus in actione consistit, industrias aliquot, & documenta tradam pro quotidiano ipsarummet usu, & exercitatione.

1. Illarum virtutum acquisitioni primo incumbere de-